



divinæ conveniunt; & tamen tunc se Filium hominis vocat.

174. Germana se luit. Christus se appellat Filius hominis id est, Adamus. Irenæus. Tertull.

Ad veritatem promissionis sue iudicandam.

175. Christus Filius hominis dicitur, quia maxime recordabatur se fratrem esse nostrum.

Hebr. 2.

Iustinian.

Christus de nostra natura gloriansur.

176. Humilitas, & abjectio natura Christi ante oculos maxime erat.

Cyr. Ezechiel & Daniel Filij hominis appellentur. Interlin. Theodor. Rupert. Ly. an. D. Thom.

Filij hominum dicuntur, semetipsos vero nunquam tali vocabulo nominantur: Nam cum nomen Filij hominis subiectionem dicat, & humilitatem, hæc erat alta mente reposita Christo Domino, & non exigebatur, ut illam aliquis ei proponeret ac diceret, maxime de ea recordabatur, & ideo Propheta non dicit: Tu es vermis, tu es homo, sed ut personam Christi agens, ait, Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis, Psalm. 21. num. 7. Contra vero illi Propheta cum esset colloquio angelico valde sublimati, ne supra se aliquid saperent, ab aliis momentur homines esse.

Quarto D. Augustinus lib. 2. de consens. Evangel. cap. 1. Secundum carnem, ait, Christus Filius hominis est, quod etiam se ipse sapissime appellat, commendans nobis, quod misericorditer dignatus sit Beneficium incarnationis maxime gratificandum esse pro nobis. Ita enim appellatur ut suam exitiam erga nos misericordiam declararet: nam cum esset Filius Dei pro nobis factus est Filius hominis, & ut sapissime tantum nobis inculcasset beneficium, frequenter Filius hominis voluit nominari, ut ita ad tantæ benignitatis divinæ memoriam essemus maxime adstricti.

Quinto D. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theologia; aliis orat. 36. Filius autem hominis, ait, propter Adamum, ac Virginem, ex quibus extitit, illo nimirum ut generis auctore; & hæc autem ut Christi, quod filius matris, & iuxta legem, & supra legem. Dicitur ergo filius hominis, id est, Adami, & Virginis, per Virginem enim Adami naturam participaverat. Et ideo hoc vocabulo frequenter utitur, quia maxime deliciabatur, quod tantæ Virginis esset filius. Aliter verò rem explicat Theophylactus, ut refert Cornelius à Lapide in cap. 8. Matth. vers. 10. filius hominis, id est, Virginis Mariæ matris suæ, homo enim communis generis est, tamque de femina, quàm de viro dicitur. Sed cum hoc repugnat, quod in Græco ponitur vox homo cum articulo masculino, id est hominis viri.

Sexto D. Epiphanius adversus Nœvianos hæres. 57. Theodoretus in cap. 7. Danielis, & S. Hippolytus datus quæst. 33. num. 169. in ea sunt sententia, ut asserant Filium hominis Christum Dominum dici, ut ostendat, se esse eum, quem Prophetæ prædixerunt, humanam naturam esse assumpturum in remedium generis humani, quem Filium hominis jam antiquitus appellaverunt, ut Daniel. 7. num. 13. Hoc nomen olim jam ei erat impositum, & ideo frequenter illud sibi assumit, & quia per illud etiam significabatur, quod ipse tanquam unus ex hominum filiis de aliorum medio curam esset, & sollicitudinem habiturus: solus enim confors in natura, aliorum miseretur. Et ideo notat D. Hieronymus in cap. 2. Ezechiel. vers. 2. quod inter omnes Prophetas Ezechiel, & Daniel dicuntur Filij hominis Creb. d. ait, ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, & ad Daniëlem raro. Quoniam merque in persona ejus, qui dicebat: Filius autem hominis non habet; ubi capus suum reclinet: captivum populum consolatur, & retrahit ad penitentiam. Duo hi Prophetæ Christum Dominum maxime representabant, quippe qui sub habitu captivitatis positi, de remedio agebant populi captivi.

Septimo Albertus Magnus hoc loco ait, quod Christus Dominus frequenter se dicit filium hominis: quia in hoc passus est, in quo Filius hominis est. Ita gloriatur Christus de sua passione, quod consuetè

voluit nomen habere ab humanitate; in qua sustinuit mortem, & passionem per quam ad Crucem ascendit. Unde eleganter ait D. Drogo de sacrament. Domin. Passionis: Crux gloria tua, o Domine, qui erubescit crucem tuam, erubescit gloriam tuam. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri, ad Galat. 6. num. 14. Apparet Angelus festiva veste indutus sanctis mulieribus in splendidissimi Resurrectionis diei auro-ra, & ait eis Marc. 16. num. 6. Jesum quæritis Nazarenum crucifixum, non est hic. Nonne sufficiebat dicere: Jesum quæritis Dominum meum, non est hic? Ad quid Crucifixum dicitis? Ad quid cum Resurrectionis gloria Crucis ignominias conjungis? consuetum est valde, scædum, ac parum jucundum, si quid detur, in die solemnè abscondi; ac de memoria dilabi: quare ergo, o Angele, crucis opprobria ante oculos ponis? Christi gloriam Angelus declarabat, quæ sine memorata cruce manifestari nequit, à cruce enim præcipue excrevit. D. Cyrillus Jerosolymit. catech. 13. Non pudeat, ait, Crucem Domini confiteri. Angeli gloriantur, dicentes: Jesum quæritis crucifixum: Non potuisti dicere, o Angele, scio quem quæritis, meum Dominum? Sed confidenter dixit. Scio, quod crucifixum. Corona enim est Crux, & non ignominia.

Ad calcem cap. 25. Matth. Explicat Dominus quomodo venturus sit in sede majestatis; magna gloria circumdatus, magno Angelorum cœtu commitatus, & tandem quomodo Electi sui beatitudinis corona sint donandi. Et statim cap. 26. n. 1. immediate de passione sua sermonem suggerit; Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur. Sed quo pacto cum magno gloria; majestatisque applausu conjungitur ignominia passionis? nec enim aliter gloria Christi, Electorumque beatitudo potuit manifestari, nisi admirata simul passione; ejusque cruce. Pulchre D. Paschas. lib. 11. in Matth. ad finem. Ille priores præmiserat sermones de gloria, & claritate adventus sui, quos in hoc uno conclusit, in quo proximè se venturum in regno cum Angelis suis, & in sede majestatis sua se futurum declarat, & continuo satis dispensativè se passurum in proximo, ut discipuli sacramentum Crucis admixtum esse gloria eternitatis fidelissimè cognoscant. Vide infra q. 36.

Franciscus Lucas Sicut Moyses posuit ex Phrafi Hebraica pro signo, seu vexillo serpentem in deserto, ita oportet poni pro signo seu vexillo Filium hominis.

EXPOSITIO.

In præsentī textu prima particula &, copulativa est; connectens hanc sententiam cum superioribus, ideo omnes expostores maxime desudant in hujus rei explicatione. Mea sententia ita est; Nicodemus introcūdi in regnum Dei, & possidendi vitam æternam maxime avidus erat, cum Dominus verbis superioribus arguit, quod ejus dictis, tam circa terrestria, quàm cœlestia, non requisierat, cum ei, utpote in cœlo existentis, ea, quæ ibi fiunt, videntur & agnoscenti sit fides maxime danda; & tamen Nicodemus assensum adhuc non præbebat. Nunc Christus Dominus præmium ei proponit, quod in eum credentes sunt contecturi, ut ex proposito præmio moveatur ad fidem. Ac si dicat: Mihi testi locupletissimo cœlesti, ac oculato non credis. Vide, & agnosce præmium ab in me credentibus obtinendum; quia ergo in cruce sum exaltandus, ut omnis, qui credit in me, habeat vitam æternam, cujus maxime desiderio flagras: Si ergo ob meæ divinæ personæ tecum loquentis auctoritatem non credis; salutem ob promissum vitæ æternæ donum cujus causa mors mea in cruce erit, crede. Et tanquam legis perito ex lege figuram proponit, de qua quæstione sequenti, ut ita eum ad fidem inclinare, & manuducere posset. Et occasionaliter de altissimo nostræ redemptionis eum docet mysterio. Et quia superiori versu summum dixerat, quod dicere poterat, nimirum se ita esse hominis, ut simul Deus esset regnans in cœlo; ideo omnium instimul, quod dici potest; nimirum se esse crucifigendum, hoc versiculo aperit. Solebat enim Dominus cum summis subungere infima, ut Matth. 16. n. 21. postquam discipulis suis se esse Deum, & hominem declaravit, statim de passione, ac morte sua sermonem instituit.

Aliter verò hanc sententiam cum superioribus connectunt D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, D. Thomas, Lyranus. Et magna connexion, quæ est inter Christi mortem, Baptismum, juxta Paul. Roman. 6. num. 3. Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Explicaverat Dominus Nicodemo Baptismum, ratione cujus mors Christi exitit. Alij verò quibus favet Simon Cassianus lib. 10. c. 7. inquirunt, quod subjungitur mors, tanquam motivum descensus Filij hominis. Et ita aliqui Recentiores ex phrafi Hebraica pro copulativa &, ponunt causalem quia, scilicet filius hominis descendit, quia oportet eum exaltari sicut Moyses exaltavit serpentem, de qua historia statim. Exaltavit, Ex radice Hebraica legi Franciscus Lucas: Posuit pro signo, seu vexillo, id est, salutis, nam dum serpentem suspiciebant, percussu sanabantur. Oportet exaltari: non oportunitate sua sed nostra; ut rectè ait Cassianus; ac proinde oportet, non necessitate absoluta, sed supposito Dei decreto;

Drogo.

Galat. 6.

Marc. 16.

Crux, honor & gloria nostra.

Cyrill. Jeros.

181.

Matth. 26.

Gloria Christi non sine Cruce declaratur.

Paschas.

Joannis 3. num. 14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.

VERSIONES.

Syriacus. Et quemadmodum extulit Mousche serpentem in deserto, ita futurum est, ut extollatur Filius hominis.

Ex Hebræo mul. Quia sicut Moyses exaltavit, &c.

D. August. hic. Serpentem in eremo. D. Dionys. Alex. Sic oportebat, exaltari. epist. contra Samosat. q. 4.

182.

Plus movet præmium, quàm magnæ auctoritas.

Christus glorias connexus?

183.

Chrysof. Theoph. Euthym. Albert Mag. D. Thom. Lyran. Rom. 6.

Cassian.